

## CLAUDIEN

## CONSULAT DE STILICON (1254 vers)

## DE CONSULATU STILICHONIS

## LIBER I

S1\_1 v.1 Continuant superi pleno Romana favore  
 2 gaudia successusque novis successibus augent :  
 3 conubii necdum festivos regia cantus  
 4 sopierat, cecinit fuso Gildone triumphos,  
 5 et calidis thalami successit laurea sertis,  
 6 sumeret ut pariter princeps nomenque mariti  
 7 victorisque decus ; Libyae post proelia crimen  
 8 concidit Eoum, rursusque Oriente subacto  
 9 consule defensae surgunt Stilichone secures.  
 10 Ordine vota meant. Equidem si carmen in unum  
 11 tantarum sperem cumulos advolvere rerum,  
 12 promptius imponam glaciali Pelion Ossae.  
 13 Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam  
 14 majus erit. Veteres actus primamque juventam  
 15 prosequar ? Ad sese mentem praesentia ducunt.  
 16 Narrem justitiam ? Resplendet gloria Martis.  
 17 Armati referam vires ? Plus egit inermis.  
 18 Quod floret Latium, Latio quod reddita servit  
 19 Africa, vicinum quod nescit Hiberia Maurum,  
 20 tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum,  
 21 aut gelidam Thracen decertatosque labores  
 22 Hebro teste canam ? Magnum mihi panditur aequor,  
 23 ipsaque Pierios lassant proclivia currus  
 24 laudibus innumeris. Etenim mortalibus ex quo  
 25 tellus coepta coli, numquam sincera bonorum  
 26 sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat,  
 27 dedecorant mores ; animus quem pulchrior ornat,  
 28 corpus destituit. Bellis insignior ille,  
 29 sed pacem foedat vitiis. Hic publica felix,  
 30 sed privata minus. Partitum ; singula quemque  
 31 nobilitant : hunc forma decens, hunc robur in armis,  
 32 hunc rigor, hunc pietas, illum sollertia juris,  
 33 hunc suboles castique tori. Sparguntur in omnes,  
 34 in te mixta fluunt ; et quae divisa beatos  
 35 efficiunt, collecta tenes. Ne facta revolvam  
 36 militiamque patris, cujus producere famam,  
 37 si nihil egisset clarum nec fida Valenti  
 38 dextera duxisset rutilantes crinibus alas,  
 39 sufficeret natus Stilicho : mens ardua semper  
 40 a puero, tenerisque etiam fulgebat in annis  
 41 fortunae majoris honos. Erectus et acer  
 42 nil breve moliri, nullis haerere potentum  
 43 liminibus fatisque loqui jam digna futuris.  
 44 Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas  
 45 spondebatque ducem celsi nitor igneus oris  
 46 membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt

47 semideis. Quacumque alte gradereris in urbe,  
 48 cedentes spatiis adsurgentesque videbas  
 49 quamvis miles adhuc. Taciti suffragia vulgi  
 50 jam tibi detulerant, quidquid mox debuit aula.  
 51 Vix primaevus eras, pacis cum mitteris auctor  
 52 Assyriae ; tanta foedus cum gente ferire  
 53 commissum juveni. Tigrim transgressus et altum  
 54 Euphraten Babylona petis. Stupuere severi  
 55 Parthorum proceres, et plebs pharetrata videndi  
 56 flagravit studio, defixaeque hospite pulchro  
 57 Persides arcanum suspiravere calorem.  
 58 Turis odoratae cumulis et messe Sabaea  
 59 pacem conciliant arae ; penetralibus ignem  
 60 sacratum rapuere adytis rituque juvencos  
 61 Chaldaeo stravere magi. Rex ipse micantem  
 62 inclinat dextra pateram secretaque Beli  
 63 et vaga testatur volventem sidera Mithram.  
 64 Si quando sociis tecum venatibus ibant,  
 65 quis Stilichone prior ferro penetrare leones  
 66 comminus aut longe virgatas figere tigres ?  
 67 Flectenti faciles cessit tibi Medus habenas ;  
 68 torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.  
 69 Nubilis interea maturae virginis aetas  
 70 urgebat patrias suspensio principe curas,  
 71 quem simul imperioque ducem nataeque maritum  
 72 prospiceret ; dubius toto quaerebat ab axe  
 73 dignum conjugio generum thalamisque Serenae.  
 74 Judicium virtutis erat ; per castra, per urbes,  
 75 per populos animi cunctantis libra cucurrit.  
 76 Tu legeris tantosque viros, quos obtulit orbis,  
 77 intra consilium vincis sensumque legentis,  
 78 et gener Augustis olim socer ipse futurus  
 79 accedis. Radiis auri Tyriaque superbit  
 80 majestate torus ; comitata parentibus exit  
 81 purpureis virgo. Stabat pater inde tropaeis  
 82 inclitus ; inde pium matris regina gerebat  
 83 obsequium gravibus subnectens flammea gemmis.  
 84 Tunc et Solis equos, tunc exultasse choreis  
 85 astra ferunt mellisque lacus et flumina lactis  
 86 erupisse solo, cum floribus aequora vernis  
 87 Bosphorus indueret roseisque evincta coronis  
 88 certantes Asiae taedas Europa levaret.  
 89 Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo  
 90 judicat et primus censet, quod cernimus omnes.  
 91 Talem quippe virum natis adjunxit et aulae,  
 92 cui neque luxuries bello nec blanda periclis  
 93 otia nec lucis fructus pretiosior umquam  
 94 laude fuit. Quis enim Visos in plaustra feroces  
 95 reppulit aut saeva Promoti caede tumentes  
 96 Bastarnas una potuit delere ruina ?  
 97 Pallantis jugulum Turno moriente piavit  
 98 Aeneas, tractusque rotis ultricibus Hector  
 99 irato vindicta fuit quaesitus Achilli.  
 100 Tu neque vesano raptas venalia curru  
 101 funera nec vanam corpus meditaris in unum  
 102 saevitiam ; turmas equitum peditumque catervas  
 103 hostilesque globos tumulo prosternis amici ;  
 104 inferiis gens tota datur. Nec Mulciber auctor

105 mendacis clipei fabricataque vatibus arma  
106 conatus juvare tuos : tot barbara solus  
107 milia jam pridem miseram vastantia Thracen  
108 finibus exiguae vallis conclusa tenebas.  
109 Nec et terrisonus stridor venientis Alani  
110 nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus,  
111 non arcu pepulere Getae, non Sarmata conto.  
112 Extinctique forent penitus, ni more maligno  
113 falleret Augustas occultus proditor aures  
114 obstrueretque moras strictumque reconderet ensem,  
115 solveret obsessos, praeberet foedera captis.  
116 Adsiduus castris aderat, rarissimus urbi,  
117 si quando trepida princeps pietate vocaret ;  
118 vixque salutatis Laribus, vix conjuge visa,  
119 deterseo necdum repetebat sanguine campum.  
120 Nec stetit Eucherii dum carperet oscula saltem  
121 per galeam. Patris stimulos ignisque mariti  
122 vicit cura ducis. Quotiens sub pellibus egit  
123 Edonas hiemes et tardi flabra Bootae  
124 sub divo Riphaea tulit ! Cumque igne propinquo  
125 frigora vix ferrent alii, tunc iste rigentem  
126 Danuvium calcabat eques nivibusque profundum  
127 scandebat cristatus Athon lateque corusco  
128 curvatas glacies silvas umbone ruebat.  
129 Nunc prope Cimmerii tendebat litora Ponti,  
130 nunc dabat hibernum Rhodope nimbose cubile.  
131 Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis  
132 stragibus aequavit Stilicho, vos Thracia testor  
133 flumina, quae largo mutastis sanguine fluctus ;  
134 dicite, Bisaltae vel qui Pangaea juvencis  
135 scinditis, offenso quantae sub vomere putres  
136 dissiliant glaebis galeae vel qualia rastris  
137 ossa peremptorum resonent inmania regum.  
138 Singula complecti cuperem ; sed densior instat  
139 gestorum series laudumque sequentibus undis  
140 obruimur. Genitor caesi post bella tyranni  
141 jam tibi commissis conscenderat aethera terris.  
142 Ancipites rerum ruituro culmine lapsus  
143 aequali cervice subis : sic Hercule quondam  
144 sustentante polum melius librata pependit  
145 machina nec dubiis titubavit Signifer astris  
146 perpetuaque senex subductus mole parumper  
147 obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.  
148 Nulli barbariae motus ; nil turbida rupto  
149 ordine temptavit novitas, tantoque remoto  
150 perpetuum mutatas orbis non sensit habenas.  
151 Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,  
152 ausa manus. Certe nec tantis dissona linguis  
153 turba nec armorum cultu diversior umquam  
154 confluit populus : totam pater undique secum  
155 moverat Auroram ; mixtis hic Colchus Hiberis,  
156 hic mitra velatus Arabs, hic crine decorus  
157 Armenius ; hic picta Saces fucataque Medus,  
158 hic gemmata niger tentoria fixerat Indus ;  
159 hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus  
160 Oceani. Ductor Stilicho tot gentibus unus,  
161 quot vel progrediens vel conspicit occidui sol.  
162 In quo tam vario vocum generumque tumultu

163 tanta quies jurisque metus servator honesti  
 164 te moderante fuit, nullis ut vinea furtis  
 165 vel seges erepta fraudaret messe colonum,  
 166 ut nihil aut saevum rabies aut turpe libido  
 167 suaderet, placidi servirent legibus enses.  
 168 Scilicet in vulgus manant exempla regentum,  
 169 utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.  
 170 Denique felices aquilas quocumque moveres,  
 171 arebant tantis epoti milibus amnes.  
 172 Illyricum peteres : campi montesque latebant.  
 173 Vexillum navale dares : sub puppibus ibat  
 174 Ionium. Nullas succincta Ceraunia nimbis  
 175 nec juga Leucatae feriens spumantia fluctu  
 176 deterrebat hiems. Tu si glaciale juberis  
 177 vestigare fretum, securo milite ducti  
 178 stagna reluctantes quaterent Saturnia remi ;  
 179 si deserta Noti, fontem si quaerere Nili,  
 180 Aethiopum medios penetrassent vela vapores.  
 181 Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycaei,  
 182 te pastoralis modulantur Maenala cantu  
 183 Partheniumque nemus, quod te pugnante resurgens  
 184 aegra caput mediis erexit Graecia flammis.  
 185 Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon  
 186 haesit et Alpheus Geticis angustus acervis  
 187 tardior ad Siculos etiamnunc pergat amores.  
 188 Miramur rapidis hostem succumbere bellis,  
 189 cum solo terrore ruant ? Non classica Francis  
 190 intulimus : jacuere tamen. Non Marte Suebos  
 191 contudimus, quis jura damus. Quis credere possit ?  
 192 Ante tubam nobis audax Germania servit.  
 193 Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores :  
 194 vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,  
 195 transcurrens egit Stilicho totidemque diebus  
 196 edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis ;  
 197 quem ferro, adloquiis ; quem vos cum milite, solus.  
 198 Impiger a primo descendens fluminis ortu  
 199 ad bifidos tractus et juncta paludibus ora  
 200 fulmineum perstrinxit iter ; ducis impetus undas  
 201 vincebat celeres, et pax a fonte profecta  
 202 cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam  
 203 nomina, crinigero flaventes vertice reges,  
 204 qui nec principibus donis precibusque vocati  
 205 paruerant, jussi properant segnique verentur  
 206 offendisse mora ; transvecti lintribus amnem  
 207 occursant ubicumque velit. Nec fama fefellit  
 208 justitiae : videre pium, videre fidelem.  
 209 Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.  
 210 Illi terribilis, quibus otia vendere semper  
 211 mos erat et foeda requiem mercede pacisci,  
 212 natis obsidibus pacem tam supplice vultu  
 213 captivoque rogant, quam si post terga revincti  
 214 Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.  
 215 Omne, quod Oceanum fontesque interjacet Histri,  
 216 unius incursu tremuit ; sine caede subactus  
 217 servitio Boreas exarmatique Triones.  
 218 Tempore tam parvo tot proelia sanguine nullo  
 219 perficis et luna nuper nascente profectus  
 220 ante redis, quam tota fuit, Rhenumque minacem

221 cornibus infractis adeo mitescere cogis,  
 222 ut Salius jam rura colat flexosque Sygambrus  
 223 in falcem curvet gladios, geminasque viator  
 224 cum videat ripas, quae sit Romana, requirat ;  
 225 ut jam trans fluvium non indignante Chauco  
 226 pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim  
 227 Gallica Francorum montes armenta pererrent ;  
 228 ut procul Hercyniae per vasta silentia silvae  
 229 venari tuto liceat, lucosque vetusta  
 230 religione truces et robur numinis instar  
 231 barbarici nostrae feriant impune bipennes.  
 232 Ultro quin etiam devota mente tuentur  
 233 victorique favent. Quotiens sociare catervas  
 234 oravit jungique tuis Alamannia signis !  
 235 Nec doluit contempta tamen, spretoque recessit  
 236 auxilio laudata fides. Provincia missos  
 237 expellet citius fasces quam Francia reges,  
 238 quos dederis. Acie nec jam pulsare rebelles,  
 239 sed vinclis punire licet ; sub iudice nostro  
 240 regia Romanus disquirat crimina carcer :  
 241 Marcomeres Sunnoque docet ; quorum alter Etruscum  
 242 pertulit exilium ; cum se promitteret alter  
 243 exulis ultorem, jacuit mucrone suorum :  
 244 res avidi concire novas odioque furentes  
 245 pacis et ingenio scelerumque cupidine fratres.  
 246 Post domitas Arctos alio prorupit ab axe  
 247 tempestas et, ne qua tuis intacta tropaeis  
 248 pars foret, Australi sonuit tuba. Moverat omnes  
 249 Maurorum Gildo populos, quibus inminet Atlas  
 250 et quos interior nimio plaga sole relegat :  
 251 quos vagus umectat Cinyps et proximus hortis  
 252 Hesperidum Triton et Gir notissimus amnis  
 253 Aethiopum, simili mentitus gurgite Nilum ;  
 254 venerat et parvis redimitus Nuba sagittis  
 255 et velox Garamas, nec quamvis tristibus Hammon  
 256 responsis alacrem potuit Nasamona morari.  
 257 Stipantur Numidae campi, stant pulvere Syrtes  
 258 Gaetulae, Poenus jaculis obtexitur aer.  
 259 Hi virga moderantur equos ; his fulva leones  
 260 velamenta dabant ignotarumque ferarum  
 261 exuviae, vasti Meroe quas nutrit harenis ;  
 262 serpentum patulos gestant pro casside rictus ;  
 263 pendent viperae squamosa pelle pharetrae.  
 264 Non sic intremuit Simois, cum montibus Idae  
 265 nigra coloratus produceret agmina Memnon,  
 266 non Ganges, cum tela procul vibrantibus Indis  
 267 inmanis medium vectaret belua Porum.  
 268 Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli,  
 269 Gildo nempe tibi. Nec solum fervidus Austrum,  
 270 sed partes etiam Mavors agitabat Eoas.  
 271 Quamvis obstreperet pietas, his ille regendae  
 272 transtulerat nomen Libyae scelerique profano  
 273 fallax legitimam regni praetenderat umbram.  
 274 Surgebat geminum varia formidine bellum,  
 275 hoc armis, hoc triste dolis. Hoc Africa saevis  
 276 cinxerat auxiliis, hoc conjuratus alebat  
 277 insidiis Oriens. Illinc edicta meabant  
 278 corruptura duces ; hinc frugibus atra negatis

279 urgebat trepidamque fames obsederat urbem.  
 280 Exitiale palam Libycum ; civile pudoris  
 281 obtentu tacitum. Tales utrimque procellae  
 282 cum fremerent lacerumque alternis ictibus anceps  
 283 imperium pulsaret hiems, nil fessa remisit  
 284 officii virtus contraque minantia fata  
 285 pervigil eventusque sibi latura secundos  
 286 major in adversis micuit : velut arbiter alni,  
 287 nubilus Aegaeo quam turbine vexat Orion,  
 288 exiguo clavi flexu declinat aquarum  
 289 verbera, nunc recta, nunc obliquante carina  
 290 callidus, et pelagi caelique obnititur irae.  
 291 Quid primum, Stilicho, mirer ? Quod cautus ad omnes  
 292 restiteris fraudes, ut te nec noxia furto  
 293 littera nec pretio manus inflammata lateret ?  
 294 Quod nihil in tanto circum terrore locutus  
 295 indignum Latio ? Responsa quod ardua semper  
 296 Eois dederis, quae mox effecta probasti -  
 297 securus, quamvis et opes et rura tenerent  
 298 insignesque domos ? Levis haec jactura ; nec unquam  
 299 publica privatae cesserunt commoda causae.  
 300 Dividis ingentes curas teque omnibus unum  
 301 obicis, inveniens animo quae mente gerenda,  
 302 efficiens patranda manu, dictare paratus  
 303 quae scriptis peragenda forent. Quae brachia centum,  
 304 quis Briareus aliis numero crescente lacertis  
 305 tot simul objectis posset conflagere rebus :  
 306 evitare dolos ; veteres firmare cohortes,  
 307 explorare novas ; duplices disponere classes,  
 308 quae fruges aut bella ferant ; aulaeque tumultum  
 309 et Romae lenire famem ? Quot nube soporis  
 310 innumeros oculi per tot discurrere partes,  
 311 tot loca sufficerent et tam longinqua tueri ?  
 312 Argum fama canit centeno lumine cinctum  
 313 corporis excubiis unam servasse juvencam !  
 314 Unde tot adlatae segetes ? Quae silva carinas  
 315 texuit ? Unde rudis tanto tirone juvenus  
 316 emicuit senioque iterum vernante resumpsit  
 317 Gallia bis fractas Alpino vulnere vires ?  
 318 Non ego dilectu, Tyrii sed vomere Cadmi  
 319 tam subitas acies concepto dente draconis  
 320 exiluisse reor : Dircaeis qualis in arvis  
 321 messis cum proprio mox bellatura colono  
 322 cognatos strinxit gladios, cum semine jacto  
 323 terrigenae galea matrem nascente ferirent  
 324 armifer et viridi floreret milite sulcus.  
 325 Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,  
 326 quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,  
 327 ordine quam prisco censeret bella senatus.  
 328 Neglectum Stilicho per tot jam saecula morem  
 329 rettulit, ut ducibus mandarent proelia patres  
 330 decretoque togae felix legionibus iret  
 331 tessera. Romuleas leges rediisse fatemur,  
 332 cum procerum jussis famulancia cernimus arma.  
 333 Tyrrenum poterat cunctis transmittere signis  
 334 et ratibus Syrtes, Libyam complere manipulis ;  
 335 consilio stetit ira minor, ne territus ille  
 336 te duce suspecto Martis graviore paratu

337 aut in harenosos aestus zonamque rubentem  
 338 tenderet aut solis fugiens transiret in ortus  
 339 missurusve sibi certae solacia mortis  
 340 oppida dirueret flammis. Res mira relatu :  
 341 ne timeare times et, quem vindicta manebat,  
 342 desperare vetas. Quantum fiducia nobis  
 343 profuit ! Hostilis salvae Carthaginis arces ;  
 344 inlaesis Tyrrii gaudent cultoribus agri,  
 345 quos potuit vastare fuga. Spe captus inani  
 346 nec se subripuit poenae nostrisque pepercit :  
 347 demens, qui numero tantum, non robore mensus  
 348 Romanos rapidis ibat ceu protinus omnes  
 349 calcaturus equis et, quod jactare solebat,  
 350 solibus effetos mersurus pulvere Gallos.  
 351 Sed didicit non Aethiopum geminata venenis  
 352 vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,  
 353 non equitum nimbos Latiis obsistere pilis.  
 354 Sternitur ignavus Nasamon, nec spicula supplex  
 355 jam torquet Garamas ; repetunt deserta fugaces  
 356 Autololes ; pavidus projecit missile Mazax.  
 357 Cornipedem Maurus nequiquam hortatur anhelum ;  
 358 praedonem lembo profugum ventisque repulsum  
 359 suscepit merito fatalis Tabraca portu  
 360 expertum quod nulla tuis elementa paterent  
 361 hostibus, et laetae passurum jurgia plebis  
 362 fracturumque reos humili sub iudice vultus.  
 363 Nil tribuat Fortuna sibi. Sit prospera semper  
 364 illa quidem ; sed non uni certamina pugnae  
 365 credidimus totis nec constitit alea castris  
 366 nutatura semel ; si quid licuisset iniquis  
 367 casibus, instabant aliae post terga biremes ;  
 368 venturus dux major erat. Victoria nulla  
 369 clarior aut hominum votis optatior umquam  
 370 contigit. An quisquam Tigranen armaque Ponti  
 371 vel Pyrrhum Antiochique fugam vel vincla Jugurthae  
 372 conferat aut Persen debellatumque Philippum ?  
 373 Hi propagandi ruerant pro limite regni ;  
 374 hic stabat Romana salus. Ibi tempora tuto  
 375 traxerunt dilata moras ; hic vincere tarde  
 376 vinci paene fuit. Discrimine Roma supremo  
 377 inter supplicium populi deforme pependit ;  
 378 et tantum Libyam fructu majore recepit  
 379 quam peperit, quantum graviorem amissa dolorem  
 380 quam necdum quaesita movent. Quis Punica gesta,  
 381 quis vos, Scipiadae, quis te jam, Regule, nosset,  
 382 quis lentum caneret Fabium, si jure perempto  
 383 insultaret atrox famula Carthagine Maurus ?  
 384 Haec omnes veterum revocavit adorea lauros ;  
 385 restituit Stilicho cunctos tibi, Roma, triumphos.

## LIBER II

S2\_1 v.1 Hactenus armatae laudes : nunc qualibus orbem  
 2 moribus et quanto frenet metuendus amore,  
 3 quo tandem flexus trabeas auctore rogantes  
 4 induerit fastisque suum concesserit annum,

5 mitior incipiat fidibus jam Musa remissis.  
 6 Principio magni custos Clementia mundi,  
 7 quae Jovis incoluit zonam, quae temperat aethram  
 8 frigoris et flammae medio, quae maxima natu  
 9 caelicolum. Nam prima chaos Clementia solvit  
 10 congeriem miserata rudem vultuque sereno  
 11 discussis tenebris in lucem saecula fudit.  
 12 Haec dea pro templis et ture calentibus aris  
 13 te fruitur posuitque suas hoc pectore sedes.  
 14 Haec docet ut poenis hominum vel sanguine pasci  
 15 turpe ferumque putes ; ut ferrum, Marte cruentum,  
 16 siccum pace feras ; ut non infensus alendis  
 17 materiem praestes odiis ; ut sontibus ultro  
 18 ignovisse velis, deponas ocius iram  
 19 quam moveas, precibus numquam implacabilis obstes,  
 20 obvia prosternas prostataque more leonum  
 21 despicias, alacres ardent qui frangere tauros,  
 22 transiliunt praedas humiles. Hac ipse magistra  
 23 das veniam victis, hac exorante calores  
 24 horrificos et quae, numquam nocitura, timentur  
 25 jurgia contentus solo terrore coerces  
 26 aetherii patris exemplo, qui cuncta sonoro  
 27 concutiens tonitru Cyclopum spicula differt  
 28 in scopulos et monstra maris nostrique cruoris  
 29 parcus in Oetaeis exercet fulmina silvis.  
 30 Huic divae germana fides eademque sorori  
 31 corde tuo delubra tenens sese omnibus actis  
 32 inserit. Haec docuit nullo livescere fuco,  
 33 numquam falsa loqui, numquam promissa morari ;  
 34 invisos odisse palam, non virus in alto  
 35 condere, non laetam speciem praemittere fraudi,  
 36 sed certum mentique parem componere vultum ;  
 37 occulto saevire vetat, prodesse remittit.  
 38 Haec et amicitias longo plus tempore firmat  
 39 mansuroque adamante ligat ; nec mobile mutat  
 40 ingenium, parvae strepitu nec vincula noxae  
 41 dissolvi patitur, nec fastidire priorem  
 42 inlicitur veniente novo. Benefacta tenere,  
 43 respuere offensas facilis, pariterque minoris  
 44 officii magnique memor superare laborat  
 45 utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.  
 46 Haec fovet absentes, haec longe sola remotis  
 47 consulit, haec nullis avidam rumoribus aurem  
 48 pandit, ut ignarum numquam laesura clientem  
 49 insidiosa tuos alienent murmura sensus.  
 50 Nec vivis adnexus amor meminisse sepultos  
 51 desinit ; in prolem transcurrit gratia patrum.  
 52 Hac tu Theodosium, tenuit dum sceptrum, colebas,  
 53 hac etiam post fata colis ; nec pignora curas  
 54 plus tua quam natos, dederat quos ille monendos  
 55 tutandosque tibi. Justos nimiumque fideles  
 56 fama putat, qui, cum possint commissa negare,  
 57 maluerint nullo violati reddere quaestu :  
 58 at Stilicho non divitias aurique relictum  
 59 pondus, sed geminos axes tantumque reservat  
 60 depositum teneris, quantum sol igneus ambit.  
 61 Quid non intrepidus credas, cui regia tuto  
 62 creditur ? Hoc clipeo munitus Honorius altum



63 non gemuit patrem vitaeque et lucis in ipso  
64 limine, contemptus numquam, dat jura subactis  
65 gentibus et secum sentit crevisse triumphos.  
66 Quem tu sic placida formas, sic mente severa,  
67 ut neque desidia tradas, dum pronus ad omne  
68 quod libet obsequeris, nec contra nixus ovantem  
69 confringas animum : secreto consona regno  
70 ceu juvenem doceas, moles quid publica poscat :  
71 ceu sanctum venerere senem patriisque gubernes  
72 imperium monitis ; dominum summissus adores ;  
73 obsequiis moderere duces, pietate parentem.  
74 Hinc fuit ut primos in conjuge disceret ignes  
75 ordiri que virum non luxuriante juvena,  
76 sed cum lege tori, casto cum foedere vellet.  
77 Principe tu felix genero : felicior ille  
78 te socero. Fratrem levior nec cura tuetur  
79 Arcadium ; nec, si quid iners atque impia turba  
80 praetendens proprio nomen regale furori  
81 audeat, adscribis juveni. Discordia quippe  
82 cum fremeret, numquam Stilicho sic canduit ira,  
83 saepe lacessitus probris gladiisque petitus,  
84 ut bello furias ultum, quas pertulit, iret  
85 inlicito causamque daret civilibus armis :  
86 cujus fulta fide mediis dissensibus aulae  
87 intemeratorum stabat reverentia fratrum.  
88 Quin et Sidonias chlamydes et cingula bacis  
89 aspera gemmatasque togas viridesque smaragdo  
90 loricas galeasque redundantes hyacinthis  
91 gestatosque patri capulis radiantibus enses  
92 et vario lapidum distinctas igne coronas  
93 dividis ex aequo, ne non augusta supellex  
94 ornatusque pares geminis heredibus essent.  
95 Mittitur et miles, quamvis certamine partes  
96 jam tumeant. Hostem muniri robore mavis  
97 quam peccare fidem : permittis justa petenti  
98 idque negas solum, cujus mox ipse repulsa  
99 gaudeat et quidquid fuerat deforme mereri.  
100 Omnes praeterea, puro quae crimina pellunt  
101 ore, deae junxere choros unoque receptae  
102 pectore diversos tecum cinguntur in usus.  
103 Justitia utilibus rectum praeponere suadet  
104 communesque sequi leges injustaque numquam  
105 largiri sociis. Durum Patientia corpus  
106 instruit, ut nulli cupiat cessisse labori ;  
107 temperies, ut casta petas ; Prudentia, ne quid  
108 inconsultus agas ; constantia, futtile ne quid  
109 infirmumque geras ; procul importuna fugantur  
110 numina, monstriferis quae Tartarus edidit antris :  
111 ac primam scelerum matrem, quae semper habendo  
112 plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,  
113 trudit Avaritiam ; cujus foedissima nutrix  
114 ambitio, quae vestibulis foribusque potentum  
115 excubat et pretiis commercia pascit honorum,  
116 pulsa simul. Nec te gurges corruptior aevi  
117 traxit ad exemplum, qui jam firmaverat annis  
118 crimen et in legem rapiendi verterat usum.  
119 Denique non dives sub te pro rure paterno  
120 vel laribus pallet ; non insidiator oberrat

121 facturus quemcumque reum. Non obruta virtus  
122 paupertate latet. Lectos ex omnibus oris  
123 evehis et meritum, non quae cunabula, quaeris,  
124 et qualis non unde satus. Sub teste benigno  
125 vivitur ; egregios invitant praemia mores.  
126 Hinc priscae redeunt artes ; felicibus inde  
127 ingeniis aperitur iter despectaque Musae  
128 colla levant, opibusque fluens et pauper eodem  
129 nititur ad fructum studio, cum cernat uterque  
130 quod nec inops jaceat probitas nec inertia surgat  
131 divitiis. Nec te jucunda fronte fefellit  
132 luxuries, praedulce malum, quae dedita semper  
133 corporis arbitriis hebetat caligine sensus  
134 membraque Circaeis effeminat acrius herbis,  
135 blanda quidem vultus, sed qua non taetrius ulla  
136 interius : fucata genas et amicta dolosis  
137 inlecebris torvos auro circumlinit hydros.  
138 Illa voluptatum multos innexuit hamis :  
139 te numquam conata capit. Non prava libido  
140 stupris advigilat ; non tempora somnus agendi  
141 frustratur ; nullo citharae convivium cantu,  
142 non pueri lasciva sonant. Quis cernere curis  
143 te vacuum potuit ? Quis tota mente remissum  
144 aut indulgentem dapibus, ni causa juberet  
145 laetitiae ? Non indecores aeraria lassant  
146 expensae ; parvo non improba littera libro  
147 absentum condonat opes. A milite parcus  
148 diligeris ; neque enim neglectas pace cohortes  
149 tunc ditas, cum bella fremunt. Scis nulla placere  
150 munera, quae metuens illis, quos spreverat, offert  
151 serus et incassum servati prodigus auri.  
152 Antevenis tempus non expectantibus ultro  
153 munificus mensaeque adhibes et nomine quemque  
154 compellas clari, sub te quod gesserat olim,  
155 admonitum facti, figendaque sensibus addis  
156 verba, quibus magni geminatur gratia nodi.  
157 Nec, si quid tribuas, jactatum saepius idem  
158 exprobrare soles nec, quos promoveris, alto  
159 turgidus adloqueris fastu nec prospera flatus  
160 attollunt nimios. Quin ipsa Superbia longe  
161 discessit, vitium rebus sollemne secundis  
162 virtutumque ingrata comes. Contingere passim  
163 adfarique licet. Non inter pocula sermo  
164 captatur, pura sed libertate loquendi  
165 seria quisque jocis nulla formidine miscet.  
166 Quem videt Augusti socerum regnique parentem,  
167 miratur conviva parem, cum tanta potestas  
168 civem lenis agat. Te doctus prisca loquentem,  
169 te matura senex audit, te fortia miles  
170 adpersis salibus, quibus haud Amphion quisquam  
171 praeferat Aonios meditantem carmine muros  
172 nec velit Orpheo migrantes pectine silvas.  
173 Hinc amor, hinc veris et non fallacibus omnes  
174 pro te solliciti votis ; hinc nomen ubique  
175 plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris.  
176 Quae non incudes streperent, quae flamma vacaret  
177 fabrilis, quantis fluerent fornacibus aera  
178 effigies ductura tuas, quis devius esset

179 angulus aut regio quae non pro numine vultus  
180 dilectos coleret, talem ni semper honorem  
181 respueres ? Decus hoc rapiat, quem falsa timentum  
182 munera decipiunt, qui se diffidit amari.  
183 Hoc solus sprevisse potest, qui jure meretur.  
184 Undique legati properant generique sub ore  
185 in tua centenas optant praeconia voces.  
186 Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi  
187 et metuens hostile nihil nova culmina totis  
188 aedificat ripis et saevum gentibus amnem  
189 Thybridis in morem domibus praevelat amoenis.  
190 Hinc Poeni cumulant laudes, quod rura tyranno  
191 libera possideant ; hinc obsidione solutus  
192 Pannonius poterque Savi, quod clausa tot annis  
193 oppida laxatis ausus jam pandere portis  
194 rursus cote novat nigras rubigine falces  
195 exesosque situ cogit splendere ligones  
196 agnoscitque casas et collibus oscula notis  
197 figit et impresso glaebis non credit aratro,  
198 exsectis, inculta dabant quas saecula, silvis  
199 restituit terras et opacum vitibus Histrum  
200 conserit et patrium vectigal solvere gaudet,  
201 immunis qui clade fuit. Te sospite fas est  
202 vexatum laceri corpus juvenescere regni.  
203 Sub tot principibus quaecumque amisimus olim,  
204 tu reddis. Solo poterit Stilichone medente  
205 crescere Romanum vulnus tectura cicatrix ;  
206 inque suos tandem fines redeunte colono  
207 Illyricis iterum ditabitur aula tributis.  
208 Nec tamen humano cedit caeleste favori  
209 iudicium : cingunt superi concordibus unum  
210 praesidiis hostesque tuos aut litore produnt  
211 aut totum oppositi claudunt fugientibus aequor  
212 aut in se vertunt furiis aut militis ense  
213 bacchati laniant Pentheo corpora ritu ;  
214 insidias retegunt et in ipsa cubilia fraudum  
215 ducunt ceu tenera venantem nare Molossi.  
216 Ominibus ventura notant aut alite monstrant  
217 aut monitos certa dignantur imagine somnos.  
218 Pro quibus innumerae trabearum insignia terrae  
219 certatim petiere tibi. Poscentibus ipse  
220 restiteras et mens, aliorum prona favori,  
221 iudex dura sui, facibus succensa pudoris  
222 tarda verecundis excusat praemia causis.  
223 Ergo avidae tantosque novi spe consulis annos  
224 elusae dominae pergunt ad limina Romae,  
225 si minus adnuerit precibus, vel cogere certae  
226 cunctantem votoque moras auferre paratae.  
227 Conveniunt ad tecta deae, quae candida lucent  
228 monte Palatino. Glaucis tum prima Minervae  
229 nexa comam foliis fulvaeque intexta micantem  
230 veste Tagum tales profert Hispania voces :  
231 "Cuncta mihi semper Stilicho, quaecumque poposci,  
232 concessit tantumque suos invidit honores.  
233 Augusti potuit soceri contemnere fasces :  
234 jam negat et genero. Si non ut ductor ab orbe  
235 quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.  
236 Exiguumne putat, quod sic amplexus Hiberam

237 progeniem nostros inmoto jure nepotes  
 238 sustinet, ut patrium commendet purpura Baetim ?  
 239 Quod pulchro Mariae fecundat germine regnum ?  
 240 Quod dominis speratur avus ? " Tum flava repexo  
 241 Gallia crine ferox evinctaque torque decoro  
 242 binaque gaesa tenens animoso pectore fatur :  
 243 "Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,  
 244 cur nondum legitur fastis ? Cur pagina tantum  
 245 nescit adhuc nomen, quod jam numerare decebat ?  
 246 Usque adeone levis pacati gloria Rheni ? "  
 247 Inde Caledonio velata Britannia monstro,  
 248 ferro picta genas, cujus vestigia verrit  
 249 caerulus Oceanique aestum mentitur amictus :  
 250 "Me quoque vicinis pereuntem gentibus" inquit  
 251 "munivit Stilicho, totam cum Scottus Hivernen  
 252 movit et infesto spumavit remige Tethys.  
 253 Illius effectum curis, ne tela timerem  
 254 Scottica, ne Pictum tremere, ne litore toto  
 255 prospicerem dubiis venturum Saxona ventis."  
 256 Tum spicis et dente comas inlustris eburno  
 257 et calido rubicunda die sic Africa fatur :  
 258 "Sperabam nullas trabeis Gildone perempto  
 259 nasci posse moras. Etiam nunc ille repugnat  
 260 et tanto dubitat fasces praebere triumpho,  
 261 qui mihi Maurorum penitus lacrimabile nomen  
 262 ignorare dedit ? " Post has Oenotria lentis  
 263 vitibus intorquens hederas et palmite largo  
 264 vina fluens : "Si vos adeo Stilichone curules  
 265 augeri flagratis" ait "quas sola juvare  
 266 fama potest, quanto me dignius incitat ardor,  
 267 ut praesente fruar conscendentemque tribunal  
 268 prosequar atque anni pandentem claustra salutem ? "  
 269 Talibus alternant studiis Romamque precantes,  
 270 pro cunctis, hortantur, eat. Nec segnius illa  
 271 paruit officio, raptis sed protinus armis  
 272 ocior excusso per nubila sidere tendit.  
 273 Transvehitur Tuscos Appenninusque volatu  
 274 stringitur. Eridanus clipei jam fulgurat umbra ;  
 275 constitit ante duces tetrica nec Pallade vultum  
 276 deterior nec Marte minor. Tremet orbe corusco  
 277 jam domus et summae tangunt laquearia cistae :  
 278 tum prior attonitum gratis adfata querellis :  
 279 "Servatas, Stilicho, per te, venerande, curules,  
 280 ornatas necdum fateor. Quid profuit anni  
 281 servilem pepulisse notam ? Defendis honorem  
 282 quem fugis, et spernis tota quem mole tueris ?  
 283 Respuis oblatum, pro quo labente resistis ?  
 284 Quae jam causa morae ? Quo me cunctabere rursus  
 285 ingenio ? Nullus Boreae metus, omnis et Austri  
 286 ora silet : cecidit Maurus, Germania cessit  
 287 et Janum pax alta ligat. Te consule necdum  
 288 digna feror ? Titulumne levem parvique nitoris  
 289 credimus, Augusti quo se decorare fatentur,  
 290 sub juga quo gentes captivis regibus egi ?  
 291 "Non, si prodigiis casus natura futuros  
 292 signat, polluimur macula. Quod reris, Eois  
 293 omen erat. Quamquam nullis mihi cognita rebus  
 294 fabula ; vix tanto risit de crimine rumor.

295 Opprobrii stat nulla fides nec littera venit  
296 vulgatura nefas : in quo vel maxima virtus  
297 est tua quod, nostros qui consulis omnia patres,  
298 de monstris taceas. Pellendi denique nulla  
299 dedecoris sanctum violant oracula coetum  
300 nec mea funestum versavit curia nomen.  
301 Pars sceleris dubitasse fuit : quaecumque profana  
302 pagina de primo venisset limine Phoebi,  
303 ante fretum deleta mihi, ne turpia castis  
304 auribus Italiae fatorum exempla nocerent  
305 publicus ille furor, quantum tua cura peregit,  
306 secretum meruit. Laetetur quisquis Eoos  
307 scribere desierit fastos : portenta Gabinos  
308 ista latent ; propriam labem texisse laborent.  
309 Cur ego, quem numquam didici sensive creatum,  
310 gratuler exemptum ? Delicti paenitet illos :  
311 nos nec credidimus. "Fuerit tamen omnibus unum  
312 crimen et ad nostras manaverit usque secures :  
313 plus ideo sumenda tibi fastigia vitas,  
314 ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum  
315 semper erat. Nullo sarciri consule damnum  
316 excepto Stilichone potest. Bene praescia tempus  
317 mens tua distulerat ; titulo tunc crescere posses,  
318 nunc per te titulus. Consul succurre gravatis  
319 consulibus, quicumque fuit, quicumque futurus ;  
320 annum redde tuum, quem jam segura sequatur  
321 posteritas nec jam doleat defensa vetustas.  
322 Sic trabeis ultor Stilicho Brutusque repertor.  
323 Libertas populi primo tunc consule Bruto  
324 reddita per fasces ; hic fascibus expulit ipsis  
325 servitium. Instituit sublimem Brutus honorem ;  
326 adseruit Stilicho. Plus est servasse repertum,  
327 quam quaesisse novum. Quid tardius ore rubenti  
328 adnuis et solitus frontem circumfluit ignis ?  
329 Tandem vince tuum, vincis qui cuncta, pudorem.  
330 "Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo  
331 te certum est, mirare libens ac suscipe cinctus,  
332 quos tibi divino mecum Tritonia duxit  
333 pectine : tincta simul repetito murice fila  
334 contulimus pensis et eodem nevimus auro,  
335 aurea quo Lachesis sub te mihi saecula texit.  
336 Hic ego promissam subolem sperataque mundo  
337 pignora praelusi. Veram mox ipse probabis  
338 me vatem nostraeque fidem venientia telae  
339 fata dabunt." Dixit gremioque rigentia profert  
340 dona, graves auro trabeas. Insigne Minervam  
341 spirat opus. Rutilis hic pingitur aula columnis  
342 et sacri Mariae partus ; Lucina dolores  
343 solatur ; residet fulgente puerpera lecto ;  
344 sollicitae juxta pallescunt gaudia matris.  
345 Susceptum puerum redimitae tempora Nymphae  
346 auri fonte lavant : teneros de stamine risus  
347 vagitusque audire putes. Jam creverat infans  
348 ore ferens patrem : Stilicho maturior aevi  
349 Martia recturo tradit praecepta nepoti.  
350 Parte alia spumis fucantem Serica frena  
351 sanguineis primae signatus flore juventae  
352 Eucherius flectebat equum jaculisque vel arcu

353 aurea purpureos tollentes cornua cervos  
354 aureus ipse ferit. Venus hic invecta columbis  
355 tertia regali jungit conubia nexu,  
356 pennatique nurum circumstipantur Amores  
357 progenitam Augustis Augustorumque sororem.  
358 Eucherus trepido jam flammea sublevat ore  
359 virginis ; adridet retro Thermantia fratri.  
360 Jam domus haec utroque petit diademata sexu  
361 reginasque parit reginarumque maritos.  
362 Talibus invitat donis dextraque gerendum  
363 diva simul porrexit ebur ; sollemnibus urnam  
364 commovet auspiciis avibusque incepta secundat.  
365 Tunc habiles armis umeros jam vestibus ambit  
366 Romuleis ; Latii sederunt pectore cultus  
367 loricaeque locum decuit toga. Talis ab Histro  
368 vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe  
369 deposito mitis clipeo candentibus urbem  
370 ingreditur trabeatus equis ; spatiosa Quirinus  
371 frena regit currumque patris Bellona cruentum  
372 ditibus exuviis tendens ad sidera quercum  
373 praecedit, lictorque Metus cum fratre Pavore  
374 barbara ferratis innectunt colla catenis  
375 velati galeas lauro, propiusque jugales  
376 formido ingentem vibrat succincta securim.  
377 Vidit ut optato se consule Roma potitam :  
378 "Nunc" ait "Elysii lucos inrumpere campi,  
379 nunc libet, ut tanti Curiis miracula voti  
380 Fabriciisque feram, famae qui vulnere nuper  
381 calcatam flevire togam : jam prata choreis  
382 pulsent nec rigidos pudeat luisse Catones.  
383 Audiat hoc senior Brutus Poenisque tremendi  
384 Scipiadae, geminis tandem quod libera damnis  
385 unius auxilio fasces Libyamque recepi.  
386 Quod superest unum precibus, fortissime consul,  
387 adde meis, ubique tuum largire parumper,  
388 quem rogat, adventum, quam tu belloque fameque  
389 depulsa terris iterum regnare dedisti.  
390 Splendida suscipiant alium te rostra Camillum,  
391 ultorem videant servatoremque Quirites  
392 et populus quem ductor ames : quibus Africa per te  
393 nec prius auditas Rhodanus jam donat aristas,  
394 ut mihi vel Massyla Ceres vel Gallica prosit  
395 fertilitas messesque vehat nunc umidus Auster,  
396 nunc Aquilo, cunctis ditescant horrea ventis.  
397 "Quae tunc Flaminiam stipabunt milia vulgi !  
398 Fallax o quotiens pulvis deludet amorem  
399 suspensum, veniens omni dum crederis hora !  
400 Spectabunt cupidae matres, spargentur et omnes  
401 flore viae, superet cum Pincia culmina consul  
402 arduus, antiqui species Romana senatus.  
403 Pompeiana dabunt quantos proscaenia plausus !  
404 Ad caelum quotiens vallis tibi Murcia ducet  
405 nomen Aventino Pallanteoque recussum !  
406 Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis  
407 mox et cum genero trabeis visura secundis."  
408 Haec dum Roma refert, jam Fama loquacibus alis  
409 pervolat Oceanum, linguis et mille citatos  
410 festinare jubet proceres, nullique senectus,

411 non iter hibernis obstant nec flatibus Alpes :  
412 vincit amor. Meriti pridem clarique vetustis  
413 fascibus ad socii properant et vindicis annum.  
414 Sic ubi fecunda reparavit morte juventam  
415 et patrios idem cineres collectaque portat  
416 unguibus ossa piis Nilique ad litora tendens  
417 unicus extremo Phoenix procedit ab Euro :  
418 conveniunt aquilae cunctaeque ex orbe volucres,  
419 ut Solis mirentur avem ; procul ignea lucet  
420 ales, odorati redolent cui cinnama busti.  
421 Nec minor in caelo chorus est ; exultat uterque  
422 Theodosius divique tui ; Sol ipse quadrigis  
423 vere coronatis dignum tibi praeparat annum.  
424 Est ignota procul nostraeque impervia menti,  
425 vix adeunda deis, annorum squalida mater,  
426 inmensi spelunca aevi, quae tempora vasto  
427 suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,  
428 omnia qui placido consumit numine, serpens  
429 perpetuumque viret squamis caudamque reductam  
430 ore vorat tacito relegens exordia lapsu.  
431 Vestibuli custos vultu longaeva decoro  
432 ante fores Natura sedet, cunctisque volantes  
433 dependent membris animae. Mansura verendus  
434 scribit jura senex, numeros qui dividit astris  
435 et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt  
436 ac pereunt fixis cum legibus. Ille recenset,  
437 incertum quid Martis iter certumque Tonantis  
438 prospiciat mundo ; quid velox semita Lunae  
439 pigraque Saturni ; quantum Cytherea sereno  
440 curriculo Phoebique comes Cyllenius erret.  
441 Illius ut magno Sol limine constitit antri,  
442 occurrit Natura potens seniorque superbis  
443 canitiem inclinat radiis. Tum sponte reclusus  
444 laxavit postes adamas, penetrabile profundum  
445 panditur et sedes aevique arcana patescunt.  
446 Hic habitant vario facies distincta metallo  
447 saecula certa locis : illic glomerantur aena,  
448 hic ferrata rigent, illic argentea candent.  
449 Eximia regione domus, contingere terris  
450 difficilis, rutili stabat grex aureus anni :  
451 quorum praecipuum pretioso corpore Titan  
452 signandum Stilichone legit ; tunc imperat omnes  
453 pone sequi dictisque simul compellat euntes :  
454 "En, cui distulimus melioris saecula metalli,  
455 consul adest. Ite optati mortalibus anni,  
456 ducite virtutes ; hominum florescite rursus  
457 ingeniis hilares Baccho frugumque feraces.  
458 Non inter geminos Anguis glaciale Triones  
459 sibilet, inmodico nec frigore saeviat ursa.  
460 Non toto fremat ore Leo, nec brachia Cancri  
461 urat atrox aestas, madidae nec prodigus urnae  
462 semina praerupto dissolvat Aquarius imbre.  
463 Phrixeus roseo producat fertile cornu  
464 ver aries, pingues nec grandine tundat olivas  
465 Scorpius ; autumnus maturet germina Virgo,  
466 lenior et gravidis adlatret Sirius uvis."  
467 Sic fatus croceis rorantes ignibus hortos  
468 ingreditur vallemque suam, quam flammeus ambit

469 rivus et inriguis largum jubar ingerit herbis,  
 470 quas Solis pascuntur equi ; flagrantibus inde  
 471 caesariem sertis et lutea lora jubasque  
 472 subligat alipedum. Gelidas hinc Lucifer ornat,  
 473 hinc Aurora comas juxtaque adludit habenis  
 474 aureus et nomen praetendit consulis annus :  
 475 inque novos iterum revoluto cardine cursus  
 476 scribunt aetheriis Stilichonem sidera fastis.

## LIBER III

## PRAEFATIO

S3\_1 v.1 Major Scipiades, Italis qui solus ab oris  
 2 in proprium vertit Punica bella caput,  
 3 non sine Pieriis exercuit artibus arma :  
 4 semper erat vatium maxima cura duci.  
 5 Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas ;  
 6 carmen amat quisquis carmine digna gerit.  
 7 Ergo seu patriis primaevus manibus ultor  
 8 subderet Hispanum legibus Oceanum,  
 9 seu Tyrias certa fracturus cuspide vires  
 10 inferret Libyco signa tremenda mari,  
 11 haerebat doctus lateri castrisque solebat  
 12 omnibus in medias Ennius ire tubas.  
 13 Illi post lituos pedites favere canenti  
 14 laudavitque nova caede cruentus eques.  
 15 Cumque triumpharet gemina Carthagine victa  
 16 (hanc vindex patri vicerat, hanc patriae),  
 17 cum longi Libyam tandem post funera belli  
 18 ante suas maestam cogeret ire rotas :  
 19 advexit reduces secum Victoria Musas  
 20 et sertum vati Martia laurus erat.  
 21 Noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter  
 22 Hannibal antiquo saevior Hannibale,  
 23 te mihi post quintos annorum Roma recursus  
 24 reddidit et votis jussit adesse suis.

## LIBER III

S3\_2 v.1 Quem populi plausu, procerum quem voce petebas,  
 2 adspice, Roma, virum. Jam tempora desine longae  
 3 dinumerare viae visoque adsurgere semper  
 4 pulvere : non dubiis ultra torquebere votis.  
 5 Totus adest oculis, aderat qui mentibus olim,  
 6 spe major, fama melior. Venerare curulem,  
 7 quae tibi restituit fasces ; complectere dextram,  
 8 sub juga quae Poenos iterum Romana redegit.  
 9 Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur  
 10 imperii, cujus libratur sensibus orbis.  
 11 Os sacrum, quod in aere colis, miraris in auro,  
 12 cerne libens : hic est felix bellator ubique,  
 13 defensor Libyae, Rheni pacator et Histri.  
 14 Ostentare suos prisco si more labores  
 15 et gentes cuperet vulgo monstrare subactas,  
 16 certassent utroque pares a cardine laurus :  
 17 haec Alamannorum spoliis, Australibus illa



18 ditior exuviis ; illinc flavente Sygambri  
19 caesarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.  
20 Ipse albis veheretur equis currumque secutus  
21 laurigerum festo fremuisset carmine miles.  
22 Hi famulos traherent reges ; hi facta metallo  
23 oppida vel montes captivaque flumina ferrent.  
24 Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes ;  
25 inde catenato gemeret Germania Rheno.  
26 Sed non inmodicus proprii jactator honoris  
27 consul, Roma, tuus. Non illum praemia tantum  
28 quam labor ipse juvat ; strepitus fastidit inanes  
29 inque animis hominum pompa meliore triumphat.  
30 Non alium certe Romanae clarius arces  
31 susceperit ducem, nec cum cedente rediret  
32 Fabricius Pyrrho nec cum Capitolia curru  
33 Pellaeae domitor Paullus conscenderet aulae.  
34 Nec similis Laias patefecit gloria portas  
35 post Numidas Mario, post classica Martis Eoi  
36 Pompeio. Nulli pars aemula defuit umquam,  
37 quae gravis obstreperet laudi, stimulisque malignis  
38 facta sequebatur quamvis ingentia livor :  
39 solus hic invidiae fines virtute reliquit  
40 humanumque modum. Quis enim livescere possit,  
41 quod numquam pereant stellae ? Quod Juppiter olim  
42 possideat caelum ? Quod noverit omnia Phoebus ?  
43 Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis  
44 invidiae mensura capit. Ductoribus illis  
45 praeterea diversus erat favor : aequior ille  
46 patribus invisus plebi ; popularibus illi  
47 munito studiis languebat gratia patrum.  
48 Omnis in hoc uno variis discordia cessit  
49 ordinibus ; laetatur eques plauditque senator  
50 votaue patricio certant plebeia favori.  
51 O felix servata vocat quem Roma parentem !  
52 O mundi communis amor, cui militat omnis  
53 Gallia, quem regum thalamis Hispania nectit,  
54 cujus et adventum crebris petiere Quirites  
55 vocibus et genero meruit praestante senatus !  
56 Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,  
57 prospera non fessis optantur flamina nautis,  
58 ut tuus adspectus populo. Quae numine tanto  
59 litora fatidicas attollunt Delia laurus,  
60 venturi quotiens adfulsit Apollinis arcus ?  
61 Quae sic aurifero Pactoli fonte tumescit  
62 Lydia, cum domitis adparuit Euhius Indis ?  
63 Nonne vides et plebe vias et tecta latere  
64 matribus ? His, Stilicho, cunctis inopina reluxit  
65 te victore salus ! Septem circumspice montes,  
66 qui solis radios auri fulgore lacessunt,  
67 indutosque arcus spoliis aequataque templa  
68 nubibus et quidquid tanti struxere triumphii.  
69 Quantum profueris, quantam servaveris urbem,  
70 attonitis metire oculis. Haec fabula certe  
71 cuncta forent, si Poenus adhuc incumberet Austro.  
72 Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu  
73 velaret, validis fuso qui viribus hoste  
74 casurum potuit morti subducere civem.  
75 At tibi quae poterit pro tantis civica reddi

76 moenibus ? Aut quantae pensabunt facta coronae ?  
77 Nec solam populi vitam debere fatetur  
78 armis Roma tuis ; sed, quo jucundior esset  
79 lucis honoratae fructus, venerabile famae  
80 pondus et amissas vires et regna recepit.  
81 Jam non praetumidi supplex Orientis ademptam  
82 legatis poscit Libyam famulosve precatur  
83 (dictu turpe) suos : sed robore freta Gabino  
84 te duce Romana tandem se vindicat ira.  
85 Ipsa jubet signis bellaturoque togatus  
86 imperat et spectant aquilae decreta senatus.  
87 Ipsa tibi trabeas ultro dedit, ipsa curulem  
88 obtulit ultori fastosque ornare coegit.  
89 Nil perdit decoris prisci nec libera quaerit  
90 saecula, cum donet fasces, cum proelia mandet ;  
91 seque etiam crevisse videt. Quis Gallica rura,  
92 quis meminit Latio Senonum servisse ligones ?  
93 Aut quibus exemplis fecunda Thybris ab Arcto  
94 vexit Lingonico sudatas vomere messes ?  
95 Illa seges non auxilium modo praebuit urbi,  
96 sed fuit indicio, quantum tibi, Roma, liceret :  
97 admonuit dominae gentes instarque tropaei  
98 rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris.  
99 Hoc quoque majestas augetur plena Quirini,  
100 rectores Libyae populo quod iudice pallent  
101 et post emeritas moderator quisque secures  
102 discrimen letale subit, quid Poenus arator  
103 intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.  
104 Ardua qui late terris responsa dedere,  
105 hic trepidant humiles ; tremuit quos Africa nuper,  
106 cernunt rostra reos. Cani virtutibus aevi  
107 materiam pandit Stilicho populumque vetusti  
108 culminis inmemorem dominandi rursus in usum  
109 excitat, ut magnos calcet metuendus honores,  
110 pendat justitia crimen, pietate remittat  
111 errorem purosque probet damnetque nocentes  
112 et patrias iterum clemens exerceat artes.  
113 Fallitur egregio quisquis sub principe credit  
114 servitium. Numquam libertas gratior extat  
115 quam sub rege pio. Quos praeficit ipse regendis  
116 rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit  
117 conceditque libens, meritis seu praemia poscant  
118 seu punire velint. Posito jam purpura fastu  
119 de se iudicium non indignatur haberi.  
120 Sic docuit regnare socer, sic cauta juventae  
121 frena dedit, teneros sic moribus induit annos  
122 verior Augusti genitor, fiducia belli,  
123 pacis consilium : per quem squalore remoto  
124 pristina Romuleis in floruit artibus aetas,  
125 per quem fracta diu translataque paene potestas  
126 non oblita sui servilibus exulat arvis,  
127 in proprium sed ducta larem victricia reddit  
128 fata solo fruiturque iterum, quibus haeserat olim,  
129 auspiciis capitique errantia membra reponit.  
130 Proxime dis consul, tantae qui prospicis urbi,  
131 qua nihil in terris complectitur altius aether,  
132 cujus nec spatium visus nec corda decorem  
133 nec laudem vox ulla capit ; quae luce metalli

134 aemula vicinis fastigia conserit astris ;  
135 quae septem scopulis zonas imitatur Olympi ;  
136 armorum legumque parens quae fundit in omnes  
137 imperium primique dedit cunabula juris.  
138 Haec est exiguis quae finibus orta tetendit  
139 in geminos axes parvaque a sede profecta  
140 dispersit cum sole manus. Haec obvia fatis  
141 innumera uno gereret cum tempore pugnas,  
142 Hispanas caperet, Sicalas obsideret urbes  
143 et Gallum terris prosterneret, aequore Poenum,  
144 numquam succubuit damnis et territa nullo  
145 vulnere post Cannas major Trebiamque fremebat  
146 et, cum jam premerent flammae murumque feriret  
147 hostis, in extremos aciem mittebat Hiberos  
148 nec stetit Oceano remisque ingressa profundum  
149 vincendos alio quaesivit in orbe Britannos.  
150 Haec est in gremium victos quae sola recepit  
151 humanumque genus communi nomine fovit  
152 matris, non dominae ritu, civesque vocavit  
153 quos domuit nexuque pio longinqua revinxit.  
154 Hujus pacificis debemus moribus omnes,  
155 quod veluti patriis regionibus utitur hospes ;  
156 quod sedem mutare licet ; quod cernere Thylen  
157 lusus et horrendos quondam penetrare recessus ;  
158 quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem ;  
159 quod cuncti gens una sumus. Nec terminus umquam  
160 Romanae dicionis erit, nam cetera regna  
161 luxuries vitiis odiisque superbia vertit :  
162 sic male sublimes fregit Spartanus Athenas  
163 atque idem Thebis cecidit ; sic Medus ademit  
164 Assyrio Medoque tulit moderamina Perses ;  
165 subjecit Persen Macedo, cessurus et ipse  
166 Romanis. Haec auguriis firmata Sibyllae,  
167 haec sacris animata Numae. Huic fulmina vibrat  
168 Juppiter ; hanc tota Tritonia Gorgone velat.  
169 Arcanas huc Vesta faces, huc orgia Bacchus  
170 transtulit et Phrygios genetrix turrita leones ;  
171 huc defensurus morbos Epidaurius hospes  
172 reptavit placido tractu, vectumque per undas  
173 insula Paeonium texit Tiberina draconem.  
174 Hanc tu cum superis, Stilicho praeclare, tueris,  
175 protegis hanc clipeo patriam regumque ducumque  
176 praecipueque tuam. Dedit haec exordia lucis  
177 Eucherio puerumque ferens hic regia mater  
178 Augusto monstravit avo ; laetatus at ille  
179 sustulit in Tyria reptantem veste nepotem,  
180 Romaque venturi gaudebat praescia fati,  
181 quod te jam tanto meruisset pignore civem.  
182 Nec tamen ingratum nec, qui benefacta referre  
183 nesciat, hunc credas populum. Si volvere priscos  
184 annales libeat : quotiens hic proelia sumpsit  
185 pro sociis ! Quotiens dono concessit amicis  
186 regibus Ausonio quaesitas sanguine terras !  
187 Publica sed numquam tanto se gratia fudit  
188 adsensu : quis enim princeps non omnibus egit  
189 obsequiis dominum sese patremque vocari,  
190 quod tibi continuis resonant convexa diebus ?  
191 Macte novis consul titulis ! Mavortia plebes

192 te dominum Bruto non indignante fatetur  
193 et, quod adhuc nullo potuit terrore coacta  
194 libertas Romana pati, Stilichonis amori  
195 detulit. Exultant avidi, quocumque decorus  
196 conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt  
197 nec vaga dilecto satiantur lumina vultu :  
198 seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,  
199 seu celebres ludos, solio seu fultus eburno  
200 cingas jure forum, denso seu turbine vulgi  
201 circumfusa tuae conscendant rostra secures.  
202 Quae vero procerum voces, quam certa fuere  
203 gaudia, cum totis exurgens ardua pennis  
204 ipsa duci sacras Victoria panderet aedes !  
205 O palma viridi gaudens et amica tropaeis  
206 custos imperii virgo, quae sola mederis  
207 vulneribus nullumque doces sentire laborem,  
208 seu tibi Dictaeae placuerunt astra Coronae  
209 seu magis aestivo sedes vicina Leoni,  
210 seu sceptrum sublime Jovis seu Palladis ambis  
211 aegida, seu fessi mulces suspiria Martis,  
212 adsis perpetuum Latio votisque senatus  
213 adnue, diva, tui. Stilicho tua saepius ornet  
214 limina teque simul rediens in castra reducat.  
215 Hunc bellis comitare favens, hunc redde togatum  
216 consiliis. Semper placidis te moribus egit  
217 servavitque piam victis nec polluit umquam  
218 laurum saevitia. Cives nec fronte superba  
219 despicit aut trepidam vexat legionibus urbem ;  
220 sed verus patriae consul cessantibus armis  
221 contentus lictore venit nec inutile quaerit  
222 ferri praesidium solo munitus amore.  
223 Magnarum nec parcus opum geminare profundas  
224 distulit impensas, sed post miracula castris  
225 edita vel genero Romae majora reservat.  
226 Auratos Rhodiis imbres nascente Minerva  
227 indulsisse Jovem perhibent, Bacchoque paternum  
228 jam pulsante femur mutatus palluit Hermus  
229 in pretium, votique famem passurus avari  
230 ditabat rutilo quidquid Mida tangeret auro ;  
231 fabula seu verum canitur : tua copia vicit  
232 fontem Hermi tactumque Midae pluviamque Tonantis.  
233 Obscurat veteres obscurabitque futuros  
234 par donis armisque dedit : si solveret ignis  
235 quot dedit inmanes vili pro pondere massas  
236 argenti, potuere lacus et flumina fundi.  
237 Nec tibi, quae pariter silvis dominaris et astris,  
238 exiguam Stilicho movit, Latonia, curam :  
239 tu quoque nobilibus spectacula nostra laboras  
240 inlustrare feris summoque in vertice rupis  
241 Alpinae socias arcu cessante pudicas  
242 et pharetratarum comitum inviolabile cogis  
243 concilium. Veniunt umeros et brachia nudae  
244 armataeque manus jaculis et terga sagittis,  
245 incomptae pulchraeque tamen ; sudoribus ora  
246 pulverulenta rubent, sexum nec cruda fatetur  
247 virginitas ; sine lege comae ; duo cingula vestem  
248 crure tenus pendere vetant. Praecedit amicas  
249 flava Leontodame, sequitur nutrita Lycaeo

250 Nebrophone telisque domat quae Maenala Thero.  
 251 Ignea Cretaea properat Britomartis ab Ida  
 252 et cursu Zephyris numquam cessura Lycaste.  
 253 Jungunt se geminae metuenda feris Hecaerge  
 254 et soror, optatum numen venantibus, Opis  
 255 progenitae Scythia : divas nemorumque potentes  
 256 fecit Hyperboreis Delos praelata pruinis.  
 257 Hae septem venere duces ; exercitus alter  
 258 Nympharum incedunt, acies formosa Dianae,  
 259 centum Taygeti, centum de vertice Cynthi  
 260 et totidem casto genuit quas flumine Ladon.  
 261 Has ubi collectas vidit, sic Delia coepit :  
 262 "O sociae, mecum thalami quae jure perosae  
 263 virgineo gelidos percurritis agmine montes,  
 264 cernitis ut Latio superi communibus ornent  
 265 hunc annum studiis ? Quantos Neptunus equorum  
 266 donet ab orbe greges ? Laudi quod nulla canendae  
 267 fratris plectra vacent ? Nostram quoque sentiat idem  
 268 quam meritis debemus opem. Non spicula poscit  
 269 iste labor ; maneant clausis nunc sicca pharetris,  
 270 omnis et a solitis noster venatibus arcus  
 271 temperet ; in solam cruor hic servetur harenam.  
 272 Retibus et clatris dilata morte tenendae  
 273 ducendaeque ferae. Cupidas arcete sagittas ;  
 274 consulis in plausum casuris parcite monstris.  
 275 Acceleret divisa manus : mihi cursus anhelas  
 276 tenditur ad Syrtes, mecum Dictynna Lycaste  
 277 et comes Opis eat ; steriles juvat ire per aestus ;  
 278 namque feras aliis tellus Maurusia donum  
 279 praebuit, huic soli debet sed victa tributum.  
 280 Dum nos horribiles Libyae scrutamur alumnos,  
 281 Europae vos interea perquirite saltus  
 282 et scopulos. Posita ludat formidine pastor  
 283 securisque canat Stilichonem fistula silvis.  
 284 Pacet muneribus montes et legibus urbes."  
 285 Dixit et extemplo frondoso fertur ab Alpe  
 286 trans pelagus ; cervi currum subiere jugales,  
 287 quos decus esse deae primi sub limine caeli  
 288 roscida fecundis concepit Luna cavernis :  
 289 par nitor intactis nivibus ; frons discolor auro  
 290 germinat et spatio summas aequantia fagos  
 291 cornua ramoso surgunt procera metallo.  
 292 Opis frena tenet, fert retia rara Lycaste  
 293 auratasque plagas, immortalesque Molossi  
 294 latrantes mediis circum juga nubibus ibant.  
 295 Quinque aliae paribus (Phoebe sic jusserat) armis  
 296 diversa regione ruunt ducitque cohortem  
 297 quaeque suam. Varias formis et gente sequuntur  
 298 ingenioque canes. Illae gravioribus aptae  
 299 morsibus, hae pedibus celeres, hae nare sagaces,  
 300 hirsutaeque fremunt Cressae tenuesque Lacaenae  
 301 magnaue taurorum fracturae colla Britannae.  
 302 Dalmatiae lucos abruptaque brachia Pindi  
 303 sparsa comam Britomartis agit. Tu Gallica cingis  
 304 lustra, Leontodame, Germanorumque paludes  
 305 eruis et si quis defensus harundine Rheni  
 306 vastus aper nimio dentes curvaverat aevo.  
 307 Nubiferas Alpes Appenninique recessus

308 Garganique nives Hecaerge prompta fatigat.  
309 Speluncas canibus Thero rimatur Hiberas  
310 informesque cavis ursos detrudit ab antris,  
311 quorum saepe Tagus manantes sanguine rictus  
312 non satiavit aquis et quos jam frigore segnes  
313 Pyrenaea tegit latebrosis frondibus ilex.  
314 Cyrnaeis Siculisque jugis venata virago  
315 Nebrophone cervos aliasque in vincula cogit  
316 non saevas pecudes, sed luxuriantis harenae  
317 delicias, pompam nemorum. Quodcumque tremendum  
318 dentibus aut insigne jubis aut nobile cornu  
319 aut rigidum saetis, capitur decus omne timorque  
320 silvarum. Non cauta latent, non mole resistunt  
321 fortia, non volucris fugiunt pernicia cursu.  
322 Hac laqueis innexa gemunt ; haec clausa feruntur  
323 ilignis domibus fabri nec tigna polire  
324 sufficiunt ; rudibus fagis texuntur et ornis  
325 frondentes caveae. Ratibus pars ibat onustis  
326 per freta vel fluvios : exanguis dextera torpet  
327 remigis et propriam metuebat navita mercem.  
328 Per terram pars ducta rotis, longoque morantur  
329 ordine plaustra vias montanis plena triumphis  
330 et fera sollicitis vehitur captiva juvencis,  
331 explebat quibus ante famem, quotiensque reflexi  
332 conspexere boves, pavidi temone recedunt.  
333 Jamque pererratis Libyae flagrantibus oris  
334 legerat eximios Phoebi germana leones,  
335 Hesperidas qui saepe fugant ventoque citatis  
336 terrificant Atlanta jubis armentaque longe  
337 vastant Aethiopum quorumque impune fragosa  
338 murmura pastorum numquam venere per aures.  
339 Non illos taedae ardentes, non strata superne  
340 lapsuro virgulta solo, non vocibus haedi  
341 pendentis stimulata fames, non fossa fefellit ;  
342 ultro se voluere capi gaudentque videri  
343 tantae praeda deae. Respirant pascua tandem ;  
344 agricolae reserant jam tuta mapalia Mauri.  
345 Tum virides pardos et cetera colligit Austri  
346 prodigia inmanesque simul Latonia dentes,  
347 qui secti ferro in tabulas auroque micantes  
348 inscripti rutilum caelato consule nomen  
349 per proceres et vulgus eant. Stupor omnibus Indis  
350 plurimus ereptis elephas inglorius errat  
351 dentibus : insedit nigra cervice gementum  
352 et fixum dea quassat ebur penitusque cruentis  
353 stirpibus avulsis patulos exarmat hiatus.  
354 Ipsos quin etiam nobis miracula vellet  
355 ducere : sed pigra cunctari mole veretur.  
356 Tyrrhenas fetus Libycos amplexa per undas  
357 classis torva sonat, caudamque in puppe retorquem  
358 ad proram jacet usque leo : vix sublevat unum  
359 tarda ratis ! Fremitus stagnis auditur in imis  
360 cunctaque prosiliunt cete terrenaque Nereus  
361 confert monstra suis et non aequare fatetur.  
362 Aequora sic victor quotiens per rubra Lyaeus  
363 navigat, intorquet clavum Silenus et acres  
364 adsudant tonsis Satyri taurinaque pulsu  
365 Baccharum Bromios invitant tympana remos :

366 transtra ligant hederæ, malum circumflua vestit  
367 pampinus, antennis inlabitur ebria serpens,  
368 perque mero madidos currunt saliuntque rudentes  
369 lynces et insolitæ mirantur carbasa tigres.